In Nomine Domini Amen

Cunctorum perit memoria prolixitate temporis factorum, nisi Scriptura autentica, et testimonio fide digno memoriae fuerint comendata, hinc est, quod nos Casimirus Dei Gratia Rex Polonie de nemoribus ac sylvis seu mericis fructus uberiores ampliare cupientes discretae Dominae nominae Hedwigi relictae Broshonis de Praverin et suis pueris Salisslao, thomislao et Alberto villam locandi super quandam meritam Praverin vulgariter nuncupatam in terra Sandomiriensi jure Theuthonico, videlicet sub jure eorumdem Dedimus omnimodam facultatem, ita tamen, si ibidem posint mensurari viginti quatuor mansi juris Thefthonici superius praetaxati, removentes ibidem omnia jura Polonicalia, servitia, angarias et praeangarias universas, quae ipsum jus Thefthonicum impedire seu perturbare consueverunt, praeterea absolvimus Cmetones praedictae villae Praverin ab omnibus juris dictionibus Castellanorum, Palatinorum, Judicum, Subjudicum, Officialiumque universorum, et ministerialium eorumdem ita, quod coram ipsis vel coram aliquo, pro causis parvis seu magnis, et negotiis quibus cunque non debeant respondere, nisi Cmetones coram Scultheto villae praedictae, per praedictam Dominam, vel ejus pueros, deputato, respondebunt. Scultetus vero coram nobis, dum per nostram literam nostro Sigillo munitam evocatus fuit, non aliter quam suo jure Thefthonico de se querulantibus respondebit, in causis autem criminalibus, puta furti, sanguinis, homicidii, et aliis universis, Scultheto villae praedictae judicandi plenam conferimus facultatem, juxta quod ipsum jus Thefthonicum exigit et requirit, damus insuper omnibus Cmetonibus, qui in eadem villa Praverin locati sunt, et data partium ab omnibus solutionibus, tributis, contributionibus, dationibus, servitiis, et

collectis, unus-quisq; per duodecim annos sequentes omnimodam libertatem. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem, presentem literam dari fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Actum Cracovie feria quarta proxima post Festum Undecim millium Virginum Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo. presentibus his testibus nostris nobilibus Spicimiro Castellano, Mstigneo Palatino Cracovien. et Andrea Castellano Radomensi et Hermano Archidiacono Lantitiensi et procuratore tunc Generali Tomasio Castellano Preposito Sancti Michaelis in Castro Cracovien-si et Vicecancellario Curie nostre, et aliis multis fide dignis. Datum per manum Stignei Cancellarii et Prepositi Cracovien-sis. (L. S.)